



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 83. Oratio Ferdinandi in Comitiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

„in finem mihi a Fratre meo Cæsare Sæcul. XVI.  
 „plena agendi facta est potestas, nec A.C. 1555.  
 „diutius, quam oportet, vos remora-  
 „bor. Acceptis hisce Ferdinandi man-  
 datis nonnulli Principes Augustam per-  
 rexerunt, unde die quinta Februarii  
 comitiis datum est initium, in quibus  
 Ferdinandus congregatos his verbis  
 alloquebatur: *Scitis vos, quam gravibus,*  
*ac necessariis de caussis hunc Conventum Cæ-*  
*sar, primum ad Ulmam, post autem ad*  
*hanc urbem, ut sub idus Novembris inchoa-*  
*retur, indixerit: ipsemet quidem rogatu,*  
*monituque meo, ad hæc comitia venire, rem-*  
*que ausplicari optabat, sed constituendis domi*  
*rebus, ut per suam absentiam recte omnia*  
*fierent, & hosti vicino possit occurri, si*  
*quid moliretur, impeditus fuit, atque tar-*  
*datus: verumtamen ego ad vigesimum no-*  
*nun Decembris diem huc tandem veni, ut*  
*in commune consulerem, nam id ipsum Cæ-*  
*sar in primis petit, nimirum, ut quidquid*  
*ad gloriam Dei pertinet, ac Imperii tran-*  
*quillitatem, id de communi vestrum omnium*  
*consilio statuatur.*

### §. LXXXIII.

#### *Oratio Ferdinandi in comitiis.*

*Noti etiam vobis sunt, prosequebatur Fer-*  
*dinandus, perniciosi motus tam inte-*  
*stini, quam externi, qui præter omnem ex-*

I 5 pecta-

**Sæcul. XVI.** pectationem post inciderunt, quibus omnia  
A.C. 1555. illa tam salutaria decreta, non impedita  
 solum, atque turbata, verum etiam sub-  
 lata sunt, maximo quidem reipublicæ  
 detrimento. Id omnibus ita constat, nihil  
 ut attineat commemorare longius, in eo au-  
 tem Cæsaris nulla intervenit culpa, qui  
 nec offenditionis caussam ulli dedit, & honeste  
 semper egit, atque constanter, & quaenam-  
 que tandem sit adversariorum criminatio,  
 publicam in primis utilitatem spectavit: ne-  
 que dubito, quin & idem vos ipsi sentiatis,  
 & eum hoc nomine purgatum habeatis: cum  
 igitur, ut his incommodis medicina fieret,  
 Conventum hunc Cæsar indixerit, statuit  
 quidem ipsemet actioni toti interesse: verum  
 & valetudine, & aliis negotiis detentus  
 non potest: neque tamen diutius rem differri,  
 sed quamprimum inchoari vult, quo videlicet  
 & malum ingravescens coiceretur, &  
 patriæ, qua nihil illi est antiquius, officium  
 suum ipse præstaret: itaque me constituit  
 Vicarium, & plenam agendi mihi fecit  
 potestatem, ut rationes una vobiscum in eam,  
 reipublicæ tum honestas, tum utiles, ad  
 eamque rem certos homines delegavi, ac  
 mihi attribui, qui simul idem agant: de re-  
 ligione vero prima est futura, & præcipua  
 actio: hoc enim dissidium tam diuturnum,  
 & omnis perturbationis & calamitatis fons  
 est, atque caput: &, quod plurimis nunc  
 annis tot hominum millia, non vitæ solum,  
 sed

sed animæ quoque jacturam fecerint, & æ-Sæcul. XVI.  
ternæ salutis, huc est referendum: id autem A. C. 1555.  
ita constat palam, ut ampliori nihil sit  
opus explicatione: lamentabile nimirum est  
spectaculum, & luctuosum, eos, qui sunt  
ejusdem baptismi, nominis, Imperii, lin-  
quæ, divelli ad hunc modum in ejus fidei  
professione, quam tot seculis, veluti per  
manus traditam a Majoribus acceperunt:  
multo autem est gravius, quod non una so-  
lum orta sit, & altera, sed plures quotidie  
sectæ nascantur, dum suam quisque vult  
opinionem tueri, quæ sane res & ad Dei  
contumeliam spectat, & charitatis vincu-  
lum dissolvit, & mentes hominum pertur-  
bat, sic, ut promiscua multitudo, quid sta-  
tuere debeat, atque credere, prorsus igno-  
ret: omnium autem est gravissimum, quod  
in his tantis erroribus plerique sensim ado-  
lescant, & tam ex prima nobilitate, quam  
ex plebæis alii fortasse reperiantur, qui rerum  
omnium securi nihil plane credunt, neque spe-  
dant, quid ratio, quid honestas, quid con-  
scientia denique præscribat: hoc autem ju-  
ventutis innoxiae summo fit tum incommodo,  
tum periculo: & certe, cum primis est de-  
plorandum, si quidem Germania, quæ jam  
seculis aliquot primam habuit virtutis, &  
pietatis laudem, ideoque florentissima fuit,  
nunc eo recidat, & sic degeneret, ut cum  
profanis etiam olim gentibus comparari non  
possit, & ne turcis quidem etiam, atque  
barba-

Sæcul. XVI. barbaris hodie populis hac parte præferri  
A.C. 1555. debeat, & censi melior: quod autem hu-  
jus mali nulla sit adhuc emendatio facta,  
licet crebri fuerint conventus, quod paucis  
ea res curæ fuerit, quod illi, quos in pri-  
mis decebat mederi, partim frustra conni-  
verant, partim obsecundantes tempori suum  
in eo privatum emolumentum spectarint, hac  
de caufsa Deus immortalis, multo jam tem-  
pore Germaniam omnem, & quosdam Or-  
dines privatim affligit variis calamitatibus,  
ita quidem, ut, quæ regio populi frequen-  
tia, viribus, atque robore præstabat olim,  
& vim omnem a se facile profigare pote-  
rat, ea nunc variis dilacerata simultatibus,  
bellis, atque turbis, tam civilibus, quam  
externis, in summo discrimine versetur, &  
ad interitum spectet, nisi illam Deus mira-  
biliter servet: opus igitur est, ut pro se  
quisque Magistratus det operam, ut suum  
hic faciat officium, & religionis negotium,  
quo & Dei continetur honos, & omnis vita  
honestas, in primis commendatum habeat:  
porro componendæ religionis non una ante-  
hoc inita est ratio, sed ut oecumenicum, li-  
berum, & pius concilium interveniret, non  
Cæsari tantum, atque mihi, verum etiam  
vobis ipsis omnibus optima semper inde ab  
initio visa est via, propterea quod, cum sit  
fidei caufsa, non ad unum modo populum,  
sed ad reliquas etiam omnes Christiani no-  
minis gentes pertineat, quæ nimirum huc  
etiam

etiam adhibendæ sunt, ut, quidquid est ubi- Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.  
que vitiorum emendetur, atque tollatur: ita-  
que Cæsar & pro suo munere, & vestrum  
rogatu totis huc incubuit viribus, & id  
perfecit demum, ut ejusmodi Concilium non  
semel & indictum sit, & aliquoties, etiam  
inchoatum: quid autem impedimenti singu-  
lis temporibus intervenerit, & cur ejus rei  
fructus ad rempublicam nullus redierit, id  
suo loco relinquo, neque dubito, quin ex  
vobis complures, qui vel interfuerunt Con-  
cilio, vel suos ibi Legatos habuerunt, cau-  
sam teneant: jam vero, si nihilominus vo-  
bis placeat, ut eadem Concilii ratio quam-  
primum repetatur, & locum obtineat, quod  
ipsum videlicet ab immortali Deo est ante  
omnia precandum, profecto non modo li-  
benter assentiam, sed omni studio, fide, di-  
ligentia rem curabo, & tunc quidem hoc  
solum erit deliberandum, quomodo illa, quæ  
prius impedimentum attulerunt, auferri de-  
beant, atque tolli: quod si vero propter  
belli motus, & reipublicæ tempestatem in  
aliud tempus magis tranquillum esse diffe-  
rendum videbitur, consentio, ut aliae pice  
rationes, atque tolerabiles tractentur,  
atque interea populus, & ordines omnes pa-  
cate vivant, & honesta disciplina continean-  
tur, incolumi semper, & Gloria Dei, &  
conscientia: Superioribus quidem annis,  
prosequebatur Ferdinandus non semel  
mentio est facta Concilii nationalis tanquam  
illud

**Sæcul. XVI.** illud huc maxime sit accommodatum, sed  
A.C. 1555. quoniam illius & nomen, & modus, atque forma nostris temporibus non admodum, opinione quidem mea, cognita sit & usitata, nihil, hoc quidem in tempore, statuere de eo possum: tertia vero via, & ratio est per colloquia non semel tentata: ac licet nullam ad frugem ea pervenerint, tamen hoc deprehendi, non pauca ibi potuisse, & præcipua quidem conciliari, si quidem affectu vere pio res acta, neque commodi fortasse privati fuisset utrobique habita ratio, quod tamen nullius ad injuriam dictum esse volo: hac ergo de ratione cogitandum erit etiam: ac licet Cæsaris ea de re consilium, ac institutum, fidele prorsus, multo sit aliter acceptum superioribus annis, & utrisque prope fuerit ingratum, ego tamen, si mne vobis ita denuo videbitur, non illud improbo: si quoque partes agatis sincere, si depositis affectibus, & oblatione remota, Dei gloriam tantum, & communem Salutem vobis proponatis, omnem in eo fidem, ac diligentiam præstabo: alia mihi nulla, hoc tempore, quæ sit idonea, via apparent, si quid autem vos magis aptum habetis, & expeditum, permisum est vobis, ut in medium adducatis.

Circa alterum deliberationis caput, quod pacem concernebat, Ferdinandus perorabat hunc in modum: *Superioribus quidem annis, cum hanc in rem a nobis*

nobis sancirentur leges, bene consultum fuisse Sæcul. XVI.  
communi otio, Cæsar cœque, ac ego puta- A.C 1555.  
banus: nunc autem ipse eventus docet,  
non satis fuisse cautum, eo quod rebelles, atque  
seditiosos condemnare non licuerit, atque pro-  
scribere, nisi citati primum essent, & ob-  
servatis omnibus judiciorum formulis con-  
victi, cum interim illi spatium nocti multos  
præter omne meritum affligerent: cautum  
quoque fuit superioribus edictis, ut ei, qui  
vim pateretur, finitimi subvenirent: vobis  
autem constat, cujusmodi intervenerint im-  
pedimenta: deliberetis igitur, & vobiscum  
diligenter expendatis velim, quomodo hæc  
duo capita legis corrigenda sint, ut & quietis  
impatientes homines deterreantur: & qui  
fideles Imperio sunt; non sibi desutura con-  
tra vim auxilia, certo sciant: id autem,  
nunc poterit fieri, eo commodius, quod &  
Wormacie nuper, & Francfurti sint ejus  
rei iusta fundamenta: recte facietis ergo, si  
deliberationem ibi suscepstat prosequamini,  
& ad exitum perducatis: hortor etiam, ut  
de constituendo judicio, de contributione  
publica, de moneta, deque rebus ad politiam  
pertinentibus consultetis, & huc vestras co-  
gitationes omnes ad hoc referatis, quemad-  
modum hæc intestina mala, similitates, turbæ,  
seditiones, atque vis tollenda sint, & extirpanda  
funditus: in eoque statu Imperii  
consideretis in primis, & respiciatis, in quan-  
to ver-

Sæcul. XVI. to veretur Germania periculo, non solum  
 A.C. 1555. obviasatorem Turcam: verum etiam propter  
 alios hostes, qui non secus, atque Turca,  
 moliuntur in Imperii perniciem: cogitetur  
 ergo, quantas illi commoditates percipient  
 ex his offenditionibus, atque civilibus malis,  
 quæ nimirum ipsi callide suscitant, atque  
 sovent, ut in hac Ordinum divulgatione suam  
 cupiditatem expleant, & per occasionem im-  
 petu facto suam in potestatem, atque servi-  
 tutem omnes redigant, etenim alii populi,  
 qui sic ab illis expugnati sunt, & circum-  
 venti, documento vobis esse deberent, ut vo-  
 bis caveatis, & ea consilia suscipiatis, qui-  
 bus & imminens patriæ tempestas, atque  
 ruina propulsetur, & Imperio sua constet,  
 ac permaneat authoritas, atque robur, &  
 vis omnis externa, sicut olim ita nunc etiam  
 fortiter, atque mascula virtute rejiciatur:  
 quicquid autem eo Cæsar, atque ego conser-  
 re poterimus & opis, & consilii, facturi  
 sumus perlibenter, & ita quidem, ut quanta  
 charitate patriam complectamur, omnes in-  
 telligere possint: hoc videlicet ipsum debet  
 tis vobis certo persuadere.

#### §. LXXXIV.

*Cardinalis Moronus a Pontifice ad  
 comitia alegatus.*

Pallav. l. 13.  
 cap. 10. n. 4. Cum hæc Ferdinandi oratio per uni-  
 versam Germaniam divulgaretur,  
 Augustæ nuntiabatur, quod is ipsem  
 circi-